

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Cothmann Joachim Cocus

**Disputatio Theologica Anniversaria De Aeterna Ad Vitam Coelestem
praedestinatione. In qua Deo Patre in Christo Redemptore nos eligente
auxiliatore**

Rostochii: Pedanus, 1633

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739725637>

Druck Freier  Zugang



Kort.: J. Lociūs
F. Cöthmann.
R. u. theol. 1633.

Disputatio Theologica
Anniversaria

^{DE}
ÆTERNA
AD VITAM
Cœlestem præde-
stinatione.

In qua
Deo Patre in Christo Redemptore
nos eligente auxiliatore.

PRÆSIDE
JOHANNE COTHMANNO,
S.S. Theologiæ Licentiatu & Pro-
fessore ac p. t. Academiæ RE-
CTORE.

Respondebit
M. JOACHIMUS COCUS,
Parchimo-Megapol.

*Ad diem 24. Augusti. in Auditorio Majori horis à
septima matutinis.*

ROSTOCHII,
Litteris JOACHIMI PEDANI Acad. Typog.
ANNO M. DC. XXXIII.

1633





Jacob. 2. vers. 5.

Ἐκ οὐδεος ἐξελέξαθ τὸν πιστὸν καὶ κρίτην
τὸν τοπικὸν εἰς τὴν πόλιν
Περιάνθεον.

Iher Ecclesiarum nostrarum Symbolicus, Formula Concordiae, de aeterna prædestinatione & Electione Dei agens. p. 798. inquit: Neque enim sentiendum est, doctrinam de hoc articulo (si tamen juxta præscriptum & analogiam verbi Dei & fidei proponatur) vel inutilem, vel non necessariam esse: multo autem minus existimandum est, quod offensionis plena sit, & detrimentum aliquod prius mentibus adferat. Scriptura enim Sacra hujus articuli non semel rarus & obiter mentionem facit: Sed multis locis eundem factis copiosè tractat & explicat. Hæc Formul. Concord. que eadem de re tractans p. 617. ait: hic articulus magnam prius mentibus consolationem adfert, si recte & dexterè explicetur. Unde Hutterus in explicatione Form. Concord. p. 1045. Articuli hujus utilitatem, multis deducit: imprimis quia Articulus hic orthodoxè explicatus clarissimam lucem Justificationis Articulo; quod videlicet gratis, sola Dei misericordia, in Christo nobis parata, sine omnibus operibus & meritis nostris, justificemur atque salvemur, inferat. Quæ cum vere se ita habeant, non abs re, fore existimamus, par quæstionum scitu necessariarum hac de materia proponere. Deum vero ter sanctum ante iacta fundamenta mundi ex mera misericordia nos eligentem

diligentem submissè invocamus, ut gratiam Spir. S. clementissime nobis impetrari dignetur. quo arduum hoc religionis nostræ mysterium ita trademus, ut Deo grata & Ecclesiam Christi adiuvantia proponamus. Amen.

QUÆSTIO I.

An de Articulo Electionis in Ecclesia agere sit periculosum, proindeq; illicitum?

1. **A**ffirmativam Quæstionis hujus partem *Theodorus Beza* tenuisse videtur, quando in colloquio Mompelgartenſi. p. 534. inquit: quapropter doctrina hæc non quibusvis promiscue nec temerè proponenda. In eandem abeunt sententiam nonnulli politicorum, qui conducibilius esse arbitrantur, si prædestinationis dogma silentio involvatur, quam si publicè eadem doctrina audiatur. Fieri namq; facile posse ut homines inde, vel securi aut etiam desperabundi reddantur.

2. *B. Lutherus* in Commentario super cap. 26. Gen. politicorum discursum repetens, ait: Audio spargi paſſim sceleratas voces inter nobiles & magnates de prædestinatione. Sic enim loquuntur: si sum prædestinatus sive bene sive male egero salvabor. Si non sum prædestinatus, dannabor nulla habita ratione operum.

3. Hisce omnibus accedere videtur, mysterij hujus summa sublimitas, & intellectus nostri in rebus ejusmodi divinis magna cæcitas. Dogmatis enim hujus sublimitatem considerantes merito cum Apostolo ex Rom. 11. v. 33. o profunditatem divitiarum &c. exclamamus.

4. Quam-

4. Quamvis verò ex prolatis in medium rationib-
bus satis abundè constet, sobriè, ac non nisi ex verbo
Dei revelato, non autem ex rationis nostræ placito,
de hoc sublimi religionis nostræ capite agendum esse
verè enim affirmamus cum Dn. D. Gfn. Diff. 6. pro Libr.
Concord. p. 571. Non est de divina prædestinatione hu-
manis iudicijs sentiendum. Neq; enim nobis ea na-
tura est, ut se in cœlestem cogitionem suis viribus effe-
rat. A Deo discendum est, quid de Deo Deiq; volun-
tate intelligendum sit. Hinc tamen non omnis de præ-
destinationis mysterio tractatio, improbatur. Quod
vel ipse *Calvinus* Libr. 3. *Instit.* cap. 21. §. 3. fatetur, dum
ita inquit: *Quicquid de prædestinatione in scriptura*
proditur, cavendum est, ne ab eo fideles arceamus: ne
videamur aut illos malignè fraudare Dei sui beneficio,
aut spiritum arguere ac fugillare, qui ea vulgarit quæ u-
tile sit ullo modo supprimi. Consentit *Georgius Sohnius*
Tom. 2. Quest. 2. qua quærit quibus doctrina de æterna
prædestinatione tradi debeat. Respondet: Hæc do-
ctrina quibusvis non solum in Scholis, sed etiam in Ec-
clesijs tradi potest ac debet.

5. Nec caret assertio hæc scripturæ fundamentis,
quæ brevissime attingemus. 1. Quicquid pertinet ad
Evangelium illud non est dissimulandum. At doctri-
na prædestinationis pertinet ad Evangelium. Ergo
non est dissimulanda. Major ex *Mar. 16. v. 15. Luc. 24. v. 47.*
Act. 1. v. 8. constat. Minorem præterquam quod ex-
tra dubitationis aleam posita sit, ac probatione non in-
digeat; *Liber Form. Concord.* p. 619. confirmat inquiens:
vera sententia de prædestinatione ex Evangelio Christi
descenda est. Conclusioni igitur sua stat veritas.

A 3:

6. 2. ex:

6. 2. Ex 2. Tim. 3. v. 16. omnis doctrina ~~be~~nitut~~is~~ utilitatem habens, in Ecclesia proponenda. At doctrina prædestinationis est ~~be~~nitut~~is~~ utilitatem habens. Ergo. Prædestinationis doctrinam esse divinitus inspiratam proindeq; utilem nemio negat, nisi qui sanctos Dei homines Spiritu Sancto locutos 2. Pet. 1. v. 21. iniciatur.

7. 3. Ex Matth. 10. v. 27. Quodcumq; dogma Christus discipulis proposuit in tenebris (id est privatim inculcavit) illud voluit prædicari in tectis (sive publicè propensi.) At dogma prædestinationis Christus proposuit in tenebris. Ergo illud voluit prædicari in tectis. Major in allegato loco satis aperte fundatur. Minore ex Joh. 15. v. 15. stabiliri potest.

8. 4. Ex Rom. 15. v. 4. Quicquid in nostram doctrinam scriptum est, ut per patientiam & consolacionem scripturarum spem habeamus, illud non est occultandum. At prædestinationis dogma tale est. Ergo non est occultandum. Fundamentis hisce addi possent & alia, utpote si doctrina hæc in Ecclesia non esset tractanda, cur Spiritus Sanctus illam per suos amanuenses manifestavit? cur eandem Christus & Apostoli sepius auditoribus suis proposuerunt & inculcarunt?

9. Ex dictis ergo satis cluescit prædestinationis doctrinam in Scholis & Ecclesijs proponendam & explicandam esse. Quod attinet igitur rationes veritati huic oppositas. Resp. ad primam è nobilium ac magnatum discursu desumptam ex Libro Form. Concord. p. 618. de nostra electione ad vitam æternam, neq; ex rationis nostræ judicio, neq; ex lege Dei judicandum est; ne vel dissolutæ & Epicureæ vitæ nos tradamus, vel

vel in desperationem incidamus. Qui enim rationis suæ judicium in hoc negotio sequuntur, in horum cordibus hæ pernicioſe cogitationes (quibus ægerrimè resistere possunt) excitantur: si (inquiunt) Deus me ad æternam salutem eligit, non potero damnari, quicquid igitur designavero. Contra verò si non sum electus ad vitam æternam, nihil planè mihi profuerit, quantumcunq; boni fecero: omnes enim conatus mei irriti erunt, vera igitur sententia de prædestinatione ex Evangelio Christi discenda est. In eo enim perspicue docetur, quod Deus omnes sub incredulitatem concluserit ut omnium misereatur: Rom. 11. v. 32. & quod non velit quenquam perire: sed potius ut omnes convertantur & in Christum credant. Ezech. 18. v. 33. & 33. v. 11. Haec tenus Form. Concordiæ.

10. Ratio secunda monet, ne ob Articuli hujus sublimitatem & intellectus nostri in spiritualibus cœcitatem ultra id quod scriptum est, de hoc profundo mysterio agamus & loquamur, quod facile largimur. Et quamvis minutissima quævis in hoc articulo discutere non valeamus, cum multa dicente Dn. D. Gesnero in hunc locum, in transmundanam Academiam servanda sint, tractemus tamen illa, quæ Spiritus S. in verbo revelato suppeditavit.

II. Exclamatio autem Apostolica Rom. 11. v. 33. extra Apostoli scopum non est extendenda. Non enim vult Apostolus electionis doctrinam (qua de tamen ibidem ex professo directè & principaliter non agit) esse vel occultandam, aut tam profundam & sublimem, ut quantum scripture de eadem revelavit, tantum illa non sit attingenda: verum ut antecedentia à cap. 9. usq; ad

cap. 12.

cap. 12. arguunt, agitur ibidem de refectione Judæorum temporali à gratia; non vero (nisi consequenter quatenus Judæi in incredulitate permaneserant) reprobatione æterna. Item: de assumptione Gentilium ad gratiam, ac consequenter ad gloriam. Considerans vero Paulus hanc Judæorum & Gentium miram vicisitudinem, ac insuper expendens gratiam divinam, ad nullam gentem esse alligatam, proindeq; Deum non esse ἀγαπητὸν, sed in quavis gente qui timet ipsum & operatur justitiam, is acceptus est illi dicente Petro, Ad. 10. v. 35. tandem exclamat. o profunditatem divinarum &c. conf. Dn. D. Hun. de prædestinatione p. 786.

12. Concludimus itaq; prædestinationis doctrinam non esse subter modium ut loquitur Christus Matth. 5. v. 15. occultandam sed super verbi divini candelabrum Apoc. 2. v. 5. ponendam, ut luceat omnibus qui in domo Ecclesiæ 1. Tim. 3. v. 15. versantur.

QUESTIO II.

Num electio nostra ad vitam æternam sit absoluta, extra Christum fide apprehensum facta?

1. Questio hæc diligentissimè notanda venit, illâ etenim dextrè explicata, magna prædestinationis materiæ inferetur lux. Ne vero nobis hic contradicentibus novam affinxisse opinionem videamur, allubet propria ipsorum verba apponere. Calvinus Lib. 3. Inst. cap. 21. §. 5. ait: prædestinationem vocamus æternum Dei decretum, quo apud se constitutum habuit, quid de uno quoq; homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes: sed alijs vita æterna, alijs damnatio

*etio æterna præordinatur. §. 7. Quanquam satis jam liqueat,
Deum occulto consilio liberè quos vult eligere alijs
rejectis. Et sub finem istius paragraphi: dicimus æ-
terno & immutabili consilio Deum semel constituisse,
quos olim semel assumere vellet in salutem, quos rur-
sus exitio devovere. Idem Calv. cap. 22. §. 3. ita inquit:
Deum in semetipsò proposuisse, perinde valet, ac si
diceretur nihil extrase considerasse, cuius rationem in decer-
nendo haberet. Hæc Calvinus.*

*2. Polan. in Syntag. Theol. Libr. 4 cap. 9. Causa ef-
ficiens, inquit, impulsiva propter quam electio æterna
nostra est facta, nulla res est extra Deum, ac proinde non
prævisa fides nostra, non meritum Christi, sed solum benepla-
citum Dei, in gratuitate ejus dilectione erga nos funda-
tum. Kecker. System. Theol. lib. 3. dicit: causa, τονγραμμην
sive internè movens ad prædestinationem, est solū Dei
beneplacitum. Quod si ergo quis quærat, cur nonnullos
homines benevolo voluntatis affectu sit complexus,
alios verò non sit complexus. Respondemus cum Apo-
stolo ad Rom. 9. id non aliunde esse, quam ex absoluto ille
jure, quod Deus canquam primus & summus Dominus habet in
creaturas suas, ita ut ei voluntas sit pro ratione. Et post pau-
ca orthodoxi statuunt electionis decretum respectu Dei
ita esse absolutū, ut nullam plane includat fidei in Christum con-
ditionem. Piscat. volumin. 1. Loc. 19. de prædestinat. Thes. 18.
22. habet similia emblemata: Quare consilium hoc in
mero Dei beneplacito fundatum esse asserimus, Deusq;
à nullare alia promotus est ad nos prædestinandos ad
vitam, quam à sua mera voluntate. Deniq; nihil prorsus
spectavit (Deus) extra se, atq; adeo ne ipsum quidem
Christum.*

B

3. Ex

3. Ex quibus nobis contradicentium testimonij, quæ illorum sententia sit palam perspicitur. Volunt equidem videri hoc sentire, electionem nostram esse gratuitam à dignitate nostrorum operum non dependentem. Quod quia scriptura totidem ferme verbis asserit, nos nequaquam inficiamur vide 2. Tim. i. v. 9. verum quia non gratuitam solum, sed imprimis absolutam, id est Christum fide apprehensum excludente (sicuti ex testimonij ipsorum patet) statuunt, ideo contra eosdem ex scriptura probandum venit, electionem nostram ad vitam æternam non esse absolutam, siue non in puro puto Dei arbitrio ut Kecker. loquitur loco supra allegato, Christo fide apprehenso excluso consistere.

4. Fundamenta sententiae nostræ orthodoxæ, ratione primi membra; quod scil. Christus electione nostra non excludatur, potiora hæc sunt. 1. ex Epistola ad Ephes. cap 1. v. 4. & seqq: ita colligimus: Quotquot eliguntur in Christo tanquam capite, & electionis nostræ fundamento, illi non absoluto Dei decreto omnes causas antegrediente prædestinantur. At omnes salvandi eliguntur in Christo, tanquam capite & electionis nostræ fundamento. Ergo non absoluto Dei decreto omnes causas antegrediente prædestinantur.

5. Argumenti hujus robur sentiens, Hieronimus Zanchius Libr. 5. de Nat. Dei. Titulo de prædestinatione sanctorum Quæstione 4. qua querit an sine medio electi simus. Respondet: electio nostra sine medio facta non est, neq; enim sine medio aliquo idoneo tanta uincio fieri poterat. Unde ipse Zanchius hanc ponit Thesin.: Quotquot ad aeternam vitam electi sunt, ita in Christo

80

sunt electi sunt, ne extra Christum nemo sit electus, ac subiicit: electio est primum beneficium quo nos affecit Deus pater, sed in Christo: & prima benedictio spiritualis, qua nobis benedixit, sed in Christo, proponitur igitur hic Christus ut aeternus & perfectus mediator, tum in quo quotquot erant servandi, praecogniti, amati, electi & praedestinati ad salutem fuerunt. Et post pauca: Quia ut electio facta est in Christo, sic etiam salus effectum electionis firma est in Christo. Et paucis interjectis: significatur neminem extra Christum justificari & servari posse, quando nemo etiam ad salutem extra Christum electus est. Quicunq; enim electi sunt in Christo, ut in capite electi sunt. Unde tandem concludit: non nunc primum sed inde ab aeterno nos fuisse cum Deo arctissimo & indissolubili vinculo conjunctos: in Christo scil. mediatore omnium electorum capite constituto. Hæc Zanchius si verba spectemus satis orthodoxè.

6. *Johannes Calv. Libr. 3. Instit. cap. 22. §. 1. & 2. variè ad locum ex quo sententiæ nostræ fundamentum sumpsimus excipit.* 1. ait Apostolum beneplacitum voluntatis Dei, quibuslibet nostris meritis opponere. Resp. concedendo totum: quæ vero sequela: Apostolus beneplacitum Dei nostris meritis opponit. Ergo meritum Christi & fides illud apprehendens, electione excluduntur. Anne Christi meritum fide applicatum est nostrum sensu Calvini meritum? Quia vero Calvin & qui illum sequuntur, saepissime ita argumentantur. Electio nostra est gratuita, omnia merita nostra excludens, ergo fides Christum sibi approprians electioni non includenda: propterea sedulò notandum, consequentiam hanc vacillare: gratis eligimur extra operum
B 2 ac

ac dignitatis nostræ respectum. Ergo absolute puro puto Dei arbitrio extra Christum fide applicatum eligimus, prius prævia scriptura concedimus, consequentiam vero inde deductam, utpote scripturæ adversantem pernegamus, sicut deinceps clarius patebit.

7. 2. Inquit; electi sumus ante creatum mundum. Ergo omnis dignitatis respectus tollitur. Resp. ejusdem argumentum hoc cum procedere est valoris. Quis enim nexus: dignitatis nostræ respectus tollitur in electione. Ergo & Christi respectus! cur non similiter quis inferret: in justificatione omnis dignitatis nostræ respectus tollitur. Ergo absolute sine Christo & fiducia justificamur! Si dixeris aliam esse justificationis in tempore, & aliam electionis ab æterno rationem. Respon. si utriusq; articuli causas expendimus, non alia nec diversa utriusq; est ratio. Differunt enim tantum ut decretum & decreti executio. Qua ratione autem & quomodo Deus in tempore decreta sua exequitur, eadem ratione ab æterno exequi statuit. Unde Sodinius de Æterna prædestinat. in proemio ait: Quæ in tempore facit & exequitur Deus, ea in tempore facere & exequi ab æterno decrevit: & sicut facit & exequitur, ita facere & exequi non aliter decrevit. Qua de re infra argumento 4. Thes. 22. plenius dicetur.

8. 3. Dicit Calvinus; si elegit nos ut sancti essemus, non elegit quia futuros tales prævidebat, pugnat enim inter se hæc duo, haberepios ab electione ut sancti sint, & ad eam ratione operum pervenire. Respon. argumentatio hæc nos absolute sola & simplici Dei voluntate, sive puro & puto Dei arbitrio esse electos non evincit, verum gratuitæ non tamen absolutæ electionis finem.

nem, ut scil. debitum gratitudinis persolvamus expo-
nit, postquam enim ex merâ non tamen *absolutâ* Dei
misericordiâ in Christo electi sumus, decet utiq; ut vita
sancta vocationem nostram co honestemus. Illuxit e-
nim gratia Dei salutifera, ut sobriè justè & piè vivâmus
Tit. 2. v. 12. Et liberati ab inimicis nostris spiritualibus
in sanctitate & justitia Deo servire tenemur *Luc. 1. v. 75.*
Sanguis enim Christi purgavit conscientiam nostram
à mortuis operibus ad serviendum Deo viventi *Hebr.*
9. v. 14. Nulla autem consequentia: Deus nos ab æ-
rerno elegit, ut sancti simus. Ergo non in Christo.
Sanctitas enim illa ad quam electi sumus non est ipse
Christus nec fides sed fidei effectum; bona scil. opera,
quibus ratione declarationis non constitutionis elec-
tionem nostram firmam facimus *2. Pet. 1. v. 10.*

9. 4. Excipit loco allegato: elegit nos secundum
propositum voluntatis suę quod proposuerat in semet-
ipso, siquidem Deum in semetipso proposuisse, perinde
valer: ac si diceretur nihil extra se considerasse, cuius
rationem in decernendo haberet. Respon. verba allegati
loci *Eph. 1. v. 5. 9.* Calvini sententiae tatum abest ut faveant
ut poti⁹ eandem fortiter elidant, dicitur enim expressè
Deū juxta *euđonia*, quæ specialem illius denotat compla-
centiam, prædestinasi nos. Jam vero extra Christum fi-
de apprehensum non datur Dei erga nos specialis *euđo-
nia* sive benevolentia. Extra quem enim non datur
peccatorum remissio, extra illum non datur specialis
euđonia. At extra Christum non datur peccatorum re-
missio *Att. 10. v. 43. c. 13. v. 38. Rom. 10. v. 11.*

10. Peccata nostra, (extra Christum æstimati) di-
stinguit nos & Deum nostrum *Esa. 59. v. 2.* verum in
Christo.

Christo fide apprehenso considerati peccata nostra teguntur *Psal. 32. v. 1.* remittuntur *Matth. 9. v. 2.* & non imputantur. *Rom. 4. v. 8.* sed potius in profundum maris abiciuntur, *Mich. 7. v. 19.* Et tum demum Deus in hominibus habet *euodoniae* ut expressè dicitur *Luc. 2. v. 14.* quia sunt in filio dilecto *eo q̄ euodōnou* *Matth. 3. v. ult.* ad quem locum Junius in Notis Biblicis inquit: Græcum verbum significationem habet præclaræ existimationis & ejus quod valde placet: dicit itaq; pater, Christum unum esse, quem cum intuetur omnem in nos conceptam indignationem deponat. Hæc Junius. Unde Scriptura sacra hoc respectu nos vocat mundos *Job. 13. v. 10.* & sanctificatos i. *Cor. 1. v. 2.* in quibus macula non sit *Cant. 4. v. 7.*

11. Ex hisce bene consideratis clare patet argumentationem Calvini invertendam esse hoc modo: Qui elegit nos juxta *euodoniae* suam specialem, ille non elegit nos extra Christum fide apprehensum. At teste Apostolo Christus elegit nos juxta *euodoniae* suam specialem. Ergo non elegit nos extra Christum.

12. Si quis inficias iverit *euodoniae* Christum includere, ille quam longè à Photinianorum misericordiam absolutam comminiscientium castris absit, expendat. Si namq; Deus, salva justitia, potuit *euodoniae* erga nos suam extra Christi fide apprehensi intuitum exerere, quid obstat, cur non idem illæsa justitia, sine Christo nos possit salvare. Si enim salutis nostræ initium, vel ut Polanus ait, principium gratiæ, in electione sine Christo conferri potuit, cur non complementum eiusdem, eadem justitia non obstante absq; Christo absolvi posset?

13. Ult

13. Ut omnia fiant clariora ita argumentamur: Deus elegit nos, aut iratus, aut placatus. Non iratus; in electione enim specialis datur Dei *eudoxia*; ut ex Apostolo probatum. Ergo placatus; extra Christum itaq; Deum habemus placatum, quod asserere, num sapiat Photinianismum cordati judicent Theologi?

14. Quoniam itaq; *eudoxia* Christum includit argumentatio Calvini concidit. Neq; est ut verba *et cetera* urgeat v. 9. Nam Zanchius illa intelligi posse indicat, in commentario hujus loci, de ipso Christo. Quam explicationem utpote in textu fundatam ipse *Bеза* in Notis majoribus improbare non potest dum inquit *et cetera* Deus pater in Christo. Ergo nec haec verba *Calvinum* juvant, sed potius contra ipsum militant.

15. *Polan. Libr. 4. Syntag. Theol. cap. 9. p. 685.* Contra fundamentum nostrum ex Epist. ad Ephesios desumptum excipit: Apostolum dicere: elegit nos in Christo, non per Christum. Respon: hi duo loquendi modi in praesenti materia non differunt, utrumq; enim verum est. Nam non solum in Christo, sed & per & propter Christum eligimur, sicut per & propter Christum in tempore benedicimur. Unde *Zanchius* in hunc locum inquit: sicut non sumus benedicti nisi in Christo capite; ita etiam non electi sine Christo, aut ullo ordine naturae extra Christum sed in Christo. Quam explicationem confirmat Hebraeis usitata locutio; apud illos enim frequenter ablatus causae per præpositionem *in* designatur vide *Gen. 29. v. 18. Deut. 24. v. 16.* Et in Nov. Test: ille Hebraismus per propositionem *et* est frequentissimus. Vide *Luc. 22. v. 20. Hebr. 1. v. 2. Phil. 4. v. 13. Act. 17. v. 28.*

16. Quæ

16. Quæ præterea Polanus loco allegato habet de Causa instrumentalis nostræ electionis id est fide, ad illa Resp. controversiam nostram non esse de termino artis; an scil. fides sit nominanda causa instrumentalis, sed hoc quæritur, an ex ea Christum tanquam Ecclesiæ caput, vera fide apprehensum, facta sit nostra ad vitam æternam electio. Hic constanter Respondemus, sicuti extra Christum nulla peccatorum remissio nulla gratia datur; ita neq; ulla ad vitam æternam electio, remissionem peccatorum ac gratiam DEI presupponens, admittitur. Unde Zanchius de natur. DEI Libr. 5. cap. 2. Quæst. 4. verè inquit: et si verò electio nostri facta est ex solo divinæ voluntatis proposito, non autem dignitatis operumve cuiusquam respectu, sine medio tamen facta non est. Neq; enim sine medio aliquo idoneo tanta Unio fieri poterat, quanta facta est inter eligentem DEUM & electos homines, proinde Paulus non simpliciter ait, nos esse electos, sed addit medium in Christo. Hæc Zanchius.

17. Si itaq; Polan. p. 687. candidè & sincerè affirmat fidei intuitum ab electione non esse excludendum, licet non sit causa efficiens propter quam eligamur, id nos sano sensu admittimus. Nec enim cum fidem decreto electionis includendam propugnamus, dignitatem aliquam, aut inhærentem aliquam qualitatem intelligimus, non enim propter fidem ut Polanus loquitur, sed per fidem eligimur: sicuti namq; fides in justificationis articulo non salvat *mηλικῶς* sed *οργανικῶς*, non ratione meriti, sed medijs (tota enim vis fidei justificantis consistit in apprehensione, non autem in actione, operatione, sive effectione aliqua propria) ita in articulo

ticulo electionis fides similiter fere habet; ingreditur
scil. decretum electionis, non in se prout est virtus
quædam, sed respectu correlati apprehensi, quod Chri-
stus est. Atq; tantum de primo sententia nostræ or-
thodoxæ fundamento dictum sit.

18. 2. Ex 2. Tim. 1. v. 9. duplex pro sententia no-
stra corroboranda fundamentum defumimus. 1. Quæ-
cunq; gratia data nobis est in Christo, illa non absolutè
nobis contigit. At electionis gratia data nobis in Christo.
Ergo non absolutè id est solè & simplici Dei vo-
luntate nobis contigit. 2. Qua ratione doctrina elec-
tionis in tempore palam fit in justificatione, ea ratio-
ne Deus ab æterno nos eligere decrevit. At electio-
nis doctrina in justificatione non est absoluta, ut con-
stat. Ergo. Major non tantum fundatur in loco al-
legato conf. v. 9 & 10. sed & confirmatur ab Apostolo
Eph. 1. v. 3. & affirmante eandem esse benedictionis &
electionis rationem. Hinc Zanchius in explicatione
cap. 1. Epist. ad Ephes. inquit: illa dictione ναθως docet
Deum in nobis benedicendis, ac servandis nihil planè
agere & nullo alio modo quam quod & quomodo in
æterno suo consilio præfinierat.

19. Ad argumentum primum respondet Johannes
Calvin. in Instit. Libr. 3. cap. 21. §. 3. giatiam illam à Chri-
sto nobis datam. Verum in Graeco textu dicitur εν τῷ
χριστῷ in & non à Christo. Unde & ipse Beza in Notis
ad Nov. Test. ac Syriaca versio hanc lectionem reti-
nent. Si quis cum Polano Lib. 4. Syntag. Thesola. cap.
690. injuriam sibi suisq; fieri dicat; Nam ut Polanus in-
quit: impingunt nobis quidam nos talem absolutam
electionem statuere, qua Deus aliquos homines sine

C

respectu

respectu Christi per fidem agnoscendi elegerit ad salutem. Atqui nos agnoscimus toto corde per Dei gratiam & aperte profitemur quod Deus nos elegerit in Christo per fidem agnoscendo, & quod electio nostra ad salutem æternam fundata sit in Christo.

20. Resp. vis veritatis cogit Polanum & alios, ut nostra utantur lingua, licet dissimiliter sentiant; quæ enim Adversariorum sit sententia ex proprijs illorum testimonij sub initium hujus disputationis dictum est. Sentiunt autem Adversarij nostri, dum in Christo nos electos esse perhibent; Christum scil. electionis esse effectum, ut Polanus Christum loco citato appellat. Alias ipse Junius in Not. Biblicis ad locum ad Ephes. ex Beza inquit: ut nulla hic sit ratio electionis nisi in gratuata Dei benevolentia quærenda, nec fides prævia sit prædestinationis causa sed effectum. Hinc in ordine causarum Adversarij nostri prædestinationem præponunt ac Christi satisfactionem postponunt. Ita enim Polan. allegato loco. p. 687. Nam sive prædestinationem ab æterno factam, sive prædestinationis executionem spectes: imputatio satisfactionis Christi sequitur prædestinationem, non antecedit. Etenim non quibus imputata est, satisfactio Christi, iij prædestinatur, sed qui prædestinati sunt ijs imputatur per fidem satisfactio Christi. Hæc Polanus. Non itaq. verè sentiunt Adversarij nos in Christo esse electos, id est Deum in eligendis hominibus respexisse Christum, salutem nobis promerentem, sed potius ut Calvinus ait: Deum nihil extra se considerasse, cuius rationem in decernendo habere.

21. 3. Pro sententia nostra orthodoxa confirmanda

da ex hypothesi nobis hic contradicentium ita argu-
mentamur. Principium gratiae absolute, sola & sim-
plici Dei voluntate extra Christum fide apprehensum
nobis non confertur. At electio est principium gra-
tiae. Ergo absolute sola & simplici Dei voluntate ex-
tra Christum fide apprehensum nobis non confertur.
Major certissima est apud Christianos & non nisi à
Photinianis, meritum Christi negantibus, ac absolutam
Dei misericordiam comminiscientibus negatur conf.
quæ supra *Thef.* 10. & seqq. hac de re dicta sunt. Minor
est ipsorum Adversariorum: ita enim *Polanus* in causa
materiali electionis nostræ sub initium inquit: electio
verò est principium gratiae, conclusio itaque stat im-
mota.

22. 4. A doctrinae justificationis & electionis reci-
procatione. Unde ita argumentamur: Quia ratione in
tempore justificamur, eadem ab æterno electi sumus.
At non absolute sed ordinatè per Christum scil. fide
apprehensum justificamur. Ergo non absolute sed
ordinatè per Christum, apprehensum eligimur. Ma-
jor quæ *περινόμων* continet. à *Zanchio* admittitur; ita
enim *Lib. 5. de Nat. Dei cap. 2.* ait: sicut qui nunc justi-
ficantur, per & propter Christum, ante mundi consti-
tutionem fuerunt ad hanc justificationem in Christo
prædestinati. Et eodem loco, p. 529. ex *August.* hanc
summam repetit: Quo quisq; modo aliquid donat,
illo etiam modo illud donare decrevit. At proinde
quomodo sua in nos confert dona Deus gratiam scil. &
gloriam: eodem planè modo etiam in nos conferre ab
æterno decrevit & prædestinavit. Subjungit autem
Zanchius: hac propositione nil certius. Et *Sobnus* de

prædestinatione *Ques.* 2. inquit: *Doctrina de prædestinatione*, non minus quam *doctrina de fide & justificatione*, cui respondet, & cum *qua veluti reciprocatur* est pars & fundamentum Evangelij. Ex quibus novum resultat argumentum: *Quicquid est pars & fundamentum Evangelij illud non absolute extra Christum fide apprehensum in nos confertur.* At *Electio secundum Sohnium* & ipsam veritatem est pars & fundamentum Evangelij. Ergo non absolute extra Christum fide apprehensum in nos confertur.

23. Atqui sic hactenus præcipue probatum est Christum electione nostra non esse eximendum, prouindeq; eandem non esse absolutam sed in Christo mediatore fundatam. Confirmanda nunc eadem Thesis de fide; quod scil. nec electio nostra respectu fidei absolute sit, pro sententia istius confirmatione *ex 2. Thes. 2. vers. 13.* ita colligimus. Quicunq; elegit homines ab initio id est æterno conf. *Ephes. i. v. 4.* in sanctificatione spiritus & fidei veritatis. Ille non absolute sed respectu fidei homines elegit. At Deus juxta Apostolum elegit homines ab æterno in sanctificatione spiritus & fidei veritatis. Ergo non absolute sed respectu fidei homines elegit.

24. *Polanus* argumentum hoc enervare studens inquit loco saepius allegato p. 684. contextus evincit fidem non esse causam efficientem electionis. Si enim sanctificatio Spiritus non est efficiens causa electionis, tum nec fides. Ratio est evidentissima: nam Apostolus utrumq; conjungit utrumq; ad unum idemq; refert, utriusq; unum & eundem, effectum statuit. At Sanctificatio Spiritus non est causa efficiens electionis, quia

quia sumus electi ante iactum mundi fundamentum,
at in tempore demum per Spiritum Sanctum sancti-
ficamur.

25. Resp. Apostolum per sanctificationem spiritus
non intelligere nostram sanctitatem, sed ministerij ver-
bi dignitatem & efficaciam. Quomodo enim nostra
sanctitas causa esset salutis? verum ministerium verbi,
quod est administratio spiritus 2. Cor. 3. v. 8. quia Spir-
itus S. per illud nos sanctificat 1. Cor. 6. v. 11. 1. Pet. 1. v. 2.
& salvat. 1. Tim. 4. v. 16. Jacob. 1. v. 21. organicè salutis
nostræ causa est. Atq; hoc respectu in ipsa electione
quoq; ministerium verbi intuitus non excluditur. Quo-
ordine enim Deus in tempore justificat & salvat eo or-
dine ab æterno justificare & salvare decrevit. Execu-
tio enim decreti, si est vera executio cum ipso decreto
ex aſſe convenit, omnia enim, dicente Zanchio in ex-
pliacione v. 4. Epift. ad Ephes. agit Deus ergo præfinivit
semel in æterno & sapientissimo consilio suo, subsumo-
itaq;: qua ratione Deus in tempore agit, ea ratione ab
æterno agere decrevit. At in tempore ita agit ut qui-
cunq; ministerio verbi rectè utitur, fidem inde habeat,
qua æternum salvetur, vide Rom. 10. v. 17. Act. 16. v. 14.
31. c. 17. v. 34. Ergo id quoq; ab æterno agere decrevit.
Exceptio itaque Polani argumentum nostrum non e-
nervat.

26. 2. Ex Jacob. 2. v. 5. Quicunq; elegit pauperes
mundi divites in fide, hic non absolute sed cum respe-
ctu fidei eosdem elegit. At prius affirmatur de Deo in
loco Jacobi, posterius itaq; negari nequit Polanus exci-
pit, Jacobum non docere fidem esse electionis causam,
sed quinam sint electi Dei, nempe fidèles seu divites

in fide. Nec sequitur: si Deus elegit divites in fide. Ergo fides est causa electionis. Respon. supra Thes. 16. dictum est, non quæri inter nos, an fides sit nominanda causa electionis, sed hæc Questio est, utrum prævisa fides ad electionis negotium pertineat? Nam cum Andrea Schaffmanno p. m. part. 2. de prædestin. p. 246. dicimus: De modo, quomodo (fides) ad electionem pertineat hic disputare nihil prodest. Quamvis ergo ex allegato loco probari non possit fidem præcisè nominandam causam, confirmare tamen hinc potest, fidem ab electione non esse sequestrandam; proindeq; electionem nostram respectu fidei non absolutam & simplicem in sola Dei voluntate, seu puro puto Dei arbitrio possumus.

27. 3. Petrus 1. Epist. cap. 1. v. 3. testatur electionem nostram factam esse $\tau\epsilon\pi\alpha\mu\omega\sigma$ conf. Rom. 11. v. 7. Illa autem $\tau\epsilon\pi\alpha\mu\omega\sigma$ aut est fidei, aut operum; tertium enim non datur. Quod non sit operum inter nos & Adversarios constat. Relinquitur itaq; quod sit fidei. Fidei ergo prævisio ab electione non excludenda. conf. 1. Tim. 1. v. 16.

28. 4. Electi qua tales in æterno electionis actu considerati, aut Deo placent specialiter aut dispicent. posterius dici nequit, cum fatentibus Adversarijs electio sit principium gratiæ. Ergo qua tales Deo specialiter placent. Quicunq; verò Deo specialiter placent, in illis Deus respicit fidem vide Matth. 9. v. 2. Hebr. 11. v. 3. At electi Deo specialiter placent ergo in illis Deus respicit fidem,

29. Polanus excipit tria ad hoc fundamentum. 1. objectum hoc non contradicere Thesi quæ oppugnatur.

tur. 2. inquit : videntur Adversarij facere ex decreto electionis opus quod fiat in tempore utuntur enim verbis præsentis temporis. 3: ait : cum omnem planè fidei respectum removemus à causis efficientibus electionis non protinus eundem removemus ab effectis electionis. Respon. ad 1. Si contradicere Thesi est termines artes oppugnare fateor, argumentum hoc Thesin non impugnare, sed sæpius hactenus dictum, non esse nobis litem de termino sed de re ipsa; an scil. fides prævisa decretum electionis ingrediatur. Id verò argumento allato satis evictum.

30. Ad secundam exceptionem Respon. quando Theologi nostrates de electione utuntur, verbis præsentis temporis. Respiciunt primò Deum, ac deinde decreti ac executionis ejusdem summam consonantiam. Respectu Dei enim nihil est neq; præteritum neq; futurum sed omnia ē rū ipso sunt præsentia. Decretum quoq; electionis & justificationis (decreti hujus executionis) ita convenient, ut quæ de justificatione in tempore dicuntur, eadem quoq; de electione certo modo affirmari possunt conf. quæ supra Thes. 27. hac de re dicta sunt.

31. Ad tertiam exceptionem Respon. Polanum nobis sumos vendere. Nam cum aliquem fidei respectum admittit, eundem de effectis electionis, quæ sunt ipsa justificatio & salus æterna, concedit Electio ergo in se considerata ab æterno in ipso Deo non respicit fidem, ut Polanus ipse ait p. 681. Sed solum Dei beneplacitum. Id autem falsum esse ex hactenus dictis elucescit.

32. 5. Deniq; ex Dn. Andrea Schaffmanno contra Pi-
scatorem

*Scatorem hunc repetimus syllogismum: Christus aut relate
causa nostrae electionis aut simpliciter. Non simplici-
ter. Ergo relate. Et per consequens fides Christum respi-
ciens ab electione remoyeri nequit. Nos hic finem facie-
tes misericordiarum patri devotas agimus gratias, quod
genus humanum miserere in Adamo perditum per Chri-
stum restaurare, nosq; hujus gratiae participes esse vo-
luit. Eundem verò submissè rogamus Spir. S. gratiam
clementissimè largiri nobis dignetur, quo beneficij hu-
jus semper memores, tandem cum omnibus electis &
Exhortatio illam: sedenti in throno & Agno, benedictio
& honor & gloria & potestas in secula seculorum,
triumphantes accinamus
Amen.*



tur. 2. inquit: videntur Adversarij factum electionis opus quod fiat in tempore ut bis praesentis temporis. 3. ait: cum omni respectum removemus a causis efficientibus non protinus eundem removemus ab eis. Respon. ad 1. Si contradicere Theologos oppugnare fateor, argumentum habet impugnare, sed saepius haec tenus dictum litem de termino sed de re ipsa; an scilicet decretum electionis ingrediatur. Id to allato satis evictum.

30. Ad secundam exceptionem Reipublicae Theologi nostrates de electione utuntur sentis temporis. Respiciunt primò Dei decreti ac executionis ejusdem summationem. Respectu Dei enim nihil est nec quod futurum sed omnia etiam in ipso summa decreta quoque electionis & justificationis executionis ita convenient, ut quae de tempore dicuntur, eadem quoque de modo affirmari possunt conf. quae supra dicta sunt.

31. Ad tertiam exceptionem Reipublicae nobis sumos vendere. Nam cum aliquis electum admittit, eundem de effectis electio ipsoa justificatio & salus aeterna, concedit in se considerata ab aeterno in ipso Deo dem, ut Polanus ipse ait p. 681. Sed solu- citum. Id autem falsum esse ex haec cescit.

32. 5. Denique ex Dr. Andrea Schaffin

